

Tridentin., ut non solum generaliter sicut alia, sed etiam speciali modo videantur excepta; hoc enim usitatum esse in jure sentit Glossa per textum ibi, in l. ultim., ff. Quod quisque juris. Et optimum exemplum ac indicium sumitur ex quadam confirmatione privilegiorum ab eodem Gregorio XIII concessa clericis regularibus Ministris infirmorum, ubi prius dicit confirmare privilegia quæ non sunt sub ullis revocationibus comprehensa, et nihilominus addit, *nec decretis Concilii Tridentini sunt contraria*; ubi manifestum est per priora generalia verba excipi etiam privilegia revocata in Concilio Tridentino, et nihilominus additur specialis exceptio Concilii Tridentini ad denotandam specialitatem ejus, et singularem observantiam. Confirmari potest hæc resolutio ex doctrina canonistarum satis recepta, quod, licet exceptio firmet regulam in contrarium, non tamen ampliat illam ad ea quæ alio jure æquali fuerant excepta. Quam tradit Panormitanus in cap. *In nostra*, de Sepulchr., in principio, per eundem textum. Et Anchar., in cap. 2 de Offic. vicar., in 6, et in rubric. de Regul. jur., quæst. 4, circa finem; late Felin. in cap. *Quoniam frequenter*, Ut lite non contest., n. 2, qui Bart., Bald., Oldr., et plures alios refert. Et licet forte hæc etiam doctrina non sit certa et infallibilis, quia totum pendet ex conjecturata mente concedentis, confirmantis, seu disponentis; nihilominus ex natura exceptionis puto esse verum non ampliari dispositionem ad id quod alias exceptum erat a talibus verbis, vel de jure, vel ex natura rei, quia non ad hoc ponitur, sed ad limitandam expresse dispositionem. Unde si aliquando videtur plus operari, est vel quia verba sunt per se universalis et in rigore sufficientia ad comprehendenda omnia, quæ per exceptionem firmantur magis, vel quia ex usu et circumstantiis constat talem esse intentionem disponentis; neutrum autem in præsentis casu invenio, et alioqui res est gravissima, ideoque credibile mihi non est tam generalem extensionem fieri illo indirecto modo per solam additionem exceptionis Concilii Tridentini, cum alia sufficiens ratio illius expressionis assignetur.

8. *De confirmatione data uni, an intelligatur et data aliis locis, vel religionibus.*—*Ratio dubitandi.*—*Duplex sensus questionis.*—Secundum dubium esse potest, an confirmatio privilegiorum ex certa scientia uni religioni, vel loco data, communicetur aliis locis, vel religionibus quæ cum priori in privilegiis

communicant, et consequenter an, confirmatis privilegiis Societatis, verbi gratia, confirmantur privilegia omnium aliarum religionum quæ habent communicationem privilegiorum Societatis. Et ratio dubitandi est, quia supra dictum est, aucto privilegio ad cuius instar aliud concessum est, non augeri privilegiorum *ad instar*; ergo similiter, confirmato uno, non confirmatur aliud: nam est eadem ratio. Ergo facta confirmatione in privilegiis in primo fonte concessionis (ut sic dicam) non sequitur fieri in aliis qui cum illo communicant: nam in hoc etiam videtur esse eadem ratio. In contrarium vero est, quia hæc confirmatio est quædam gratia; ergo facta uni, communicatur aliis quibus gratiæ illius communicantur. Respondeo duplicem esse posse sensum dubitationis. Unus est, an confirmatis privilegiis respectu religionis cui primo fuerunt concessa, eo ipso illa eadem censeantur confirmata pro omnibus religionibus quibus ante confirmationem et post concessionem fuerunt communicata. Alius sensus est, an confirmatio concessa uni religioni quoad sua privilegia, eo ipso censeatur facta alteri quoad sua, etiamsi distincta sint, ratione communicationis generalis in privilegiis, quam alias habent tales religiones.

9. *De primo sensu.*—Circa priorem sensum oportet considerare an communicatio privilegiorum fuerit de concessis tantum, an vero de concessis et concedendis. Nam si fuit prioris modi, negative respondendum est; hoc enim probat ratio dubitandi posita: nam formaliter ac per se loquendo, confirmato privilegio exemplari non confirmatur privilegium *ad instar*, quia non fuit exemplar ut confirmatum, sed tantum ut concessum; nec privilegium *ad instar* per se respicit futurum statum, sed illum quem habet exemplar, quando aliud ad instar illius conceditur: unde etiam e contrario, licet privilegium *ad instar* confirmetur, non redundabit confirmatio in exemplar. Et hoc censeo verum, sive confirmatio sit ex certa scientia, sive in forma communi, quia ratio æque in utroque procedit. Et eadem ratione, si communicatio facta est tantum de privilegio concesso, non extenditur ad confirmationem postea factam, quia hæc nondum erat quando communicatio facta est, et illa non est facta de futuris, ut supponitur.

10. *De communicatione concessorum et concedendorum ex certa scientia.*—At vero si communicatio fuit de concessis et concedendis, et fuit ex certa scientia, plane derivatur ac re-

dundat in omnes quibus talis communicatio facta est. Quia illa confirmatio æquivaleret concessioni privilegii, ut dictum est, unde censeri potest privilegium quoddam, et nova gratia; sed per illam communicationem etiam futura et concedenda communicantur, ut supponitur; ergo etiam hæc confirmatio communicatur quoad usum et fructum illorum privilegiorum quæ confirmantur. Atque ita ex prædicto fundamento resolvit Mandos., d. tract. de Priv. ad inst., quæst. 7. Qui tamen non videtur hoc admittere in confirmatione in forma communi: nam de illa simpliciter negat communicari, sive communicatio fuerit de concessis, sive etiam de concedendis. Movetur solum illa ratione, quod, revocato privilegio exemplari, non revocatur privilegium ad instar; ergo nec illo confirmato confirmatur: sed hæc ratio procedit tantum in priori sensu, scilicet, per se et nulla alia interveniente communicatione. Ideo apparentius fundari potest, quia illa communicatio in forma communi non habet vim concessionis, et ideo non reputatur privilegium, ac subinde non communicatur per communicationem privilegiorum, etiam concedendorum. Sed neque hæc ratio convincit, et ideo probabilius puto talem communicationem extendi etiam ad confirmationem in forma communi, maxime quando communicatio non solum est in privilegiis, sed etiam in omnibus favoribus, gratiis et indulgentiis (ut communiter fieri solet in indultis mendicantium, et in nostris bullis, et aliis quæ late refert Roder., quæst. 55). Quia confirmatio etiam data in forma communi est favor, et indultum quoddam, et beneficium, et consequenter est gratia; ergo ad illam extenditur communicatio de concedendis favoribus. Imo, licet fuerit facta solum nomine privilegiorum concessorum et concedendorum, videtur mihi communicari, vel quia omnis gratia et beneficium principis potest dici privilegium saltem lato modo, ut in principio dixi, et tradit Bald. in Prolog. feud., n. 18, cum Joann. Andr., in cap. *Olim*, de Verb. signif.; et plures alii quos refert Mandos. supra; privilegium autem principis late est interpretandum. Vel quia confirmatio non per se stat, ut sic dicam, sed adhæret privilegio jam concesso, et reddit illud firmiter et stabilius, quantum potest; sed, per communicationem privilegiorum, quæ non tantum ad concessa, sed etiam ad concedenda extenditur, communicatur illud privilegium non tantum secundum statum quem habet tempore communicationis factæ, sed

etiam quem habere potest per novam confirmationem; ergo illa etiam communicatur postea, etiamsi tantum sit in forma communi.

11. Superest dicendum de alio sensu dubii supra posito, quem attingit Mandos. supra, quæst. 8, et absolute affirmat, confirmatis privilegiis unius religionis, confirmari etiam propria privilegia alterius religionis habentis communicationem privilegiorum cum priori. Ratio ejus est, quia alias non manerent illæ duæ religiones æquales in privilegiis, quod est contra mentem Pontificis concedentis illam communicationem. Confirmari hoc potest, primo, quia hæc confirmatio, præsertim ex certa scientia, est quoddam privilegium; ergo data uni religioni transit ad aliam per communicationem; ergo transit cum proportionem, id est, ad confirmanda privilegia propria illius religionis cui fit communicatio, etiamsi diversa sint. Probatur hæc consequentia ex supra dictis ex quadam declaratione pontificia, quod privilegium datum uni religioni, et communicatum alteri, debet cum proportionem, et non secundum identitatem, applicari. Nam si privilegium concedit favorem pro tali festivitate vel sancto religionis prioris, ad aliam religionem debet applicari pro alio festo vel sancto suo, et sic de aliis; ergo etiam in proposito, si uni religioni confertur confirmatio privilegiorum suorum ex certa scientia, et hæc communicatur alteri, intelligitur cum proportionem applicari ad sua privilegia.

12. *Prædicta sententia probabilis, opposita probabilior.*—Hæc sententia fortasse probabilis est, mihi tamen contraria videtur in rigore vera. Et imprimis si una religio communiceat cum alia in privilegiis concessis, non autem in concedendis, clarum est, confirmationem postea subsecutam non communicari, quia non habet rationem privilegii concessi, sed concedendi, et a fortiori constat ex dictis in superiori puncto. Neque hoc negaret prædictus auctor (ut existimo), quamvis in illa questione magis indistincte loquatur quam in proxime præcedente. Deinde, etiamsi communicatio extendatur ad privilegia concedenda, existimo non extendi illo modo, quia Papa non intendit confirmare nisi privilegia, verbi gratia, Minorum; ergo non confirmat privilegia propria Dominicanorum, alias plura confirmaret quam intenderet. Maximeque urget hæc ratio in confirmatione ex certa scientia, quia Papa non habet vel præsumitur habere scientiam aliorum privilegiorum, sed eorum tantum quæ directe ac expresse ex tali



scientia confirmat; ergo illa confirmatio non potest per communicationem transire ad alia privilegia dissimilia. Neque est simile exemplum ex quo argumentum in contrarium sumebatur, quia in illo exemplo proportio consideratur ex parte materiæ in usu privilegiorum, et non est extensio communicationis, sed interpretatio circa modum quo debet applicari ad materiam et usum ejusdem privilegii, quæ interpretatio sumpta est ex declaratione ipsius Pontificis, et ex materia ipsa et circumstantiis constare posset, quia idem privilegium applicatum ad diversos debet unicuique adaptari juxta modum suum, alioqui esset inutile, et improportionatum utrique vel alteri eorum; et ad hoc tantum confirmandum faciunt omnia quæ Mand. supra allegat. At vero in nostro casu non fieret sola interpretatio, sed extensio confirmationis pontificiæ ad plura privilegia, quam cadant sub intensionem aut mentionem ejus.

13. Neque dici potest, supposita communicatione, Pontificem confirmantem habere hanc intensionem virtuales, vel certe extensionem sequi ex intensione et efficacia prioris Pontificis qui communicationem concessit. Hoc (inquam) dici non potest, quia sine tali extensione habet integrum effectum concessio utriusque Pontificis. Quod explico in hunc modum, quia quando Pontifex confirmat privilegia, verbi gratia, Minorum, illa confirmatio formaliter (ut sic dicam) communicatur Prædicatoribus, id est, ut versatur circa ipsamet privilegia Minorum, quia illamet communicantur Prædicatoribus, non solum ut antea erant, sed etiam ut sunt confirmata, ut per se constat ex dictis; quia illa privilegia per communicationem sunt facta tanquam propria illius religionis, et confirmatio illorum etiam est privilegium quod communicatur illi; ergo non potest illa communicatio habere etiam alium effectum confirmandi propria privilegia Prædicatorum; tum quia per priorem effectum satisfactum est menti utriusque Pontificis, neque alter eorum alium explicavit, aut voluit; tum etiam quia alias bis communicaretur illa confirmatio tali religioni, semel circa privilegia prius communicata, et iterum circa propria, quod est alienum a ratione, et sine ullo fundamento in voluntate Pontificum. Secus vero est in alio exemplo adducto; nam quando communicatur privilegium festivitatis alicujus sancti proprii, ita applicatur uni religioni ad sanctum ejusdem ordinis, ut non communicetur quoad sanctum

alterius ordinis, et ita salvatur unica, et, ut sic dicam, formalis communicatio, licet in materia servetur tantum proportio.

14. *Quando confirmantur omnia privilegia alicujus religionis sive propria, sive communicata, tunc consequenter confirmantur privilegia alterius religionis ut per communicationem facta communia.* — Neque etiam, propter servandam æqualitatem inter illas religiones, necessarius est ille effectus, quia satis per hoc servatur, quod, sicut illa privilegia manent confirmata pro una religione, ita etiam pro alia; et e converso, sicut propria privilegia, verbi gratia, Prædicatorum non manent confirmata ex vi confirmationis datæ Minoribus, ita etiam non communicantur Minoribus illa privilegia Prædicatorum ut confirmata, sed prout antea erant et communicantur. Hinc vero potest limitari hæc nostra sententia, ut non procedat, quando per indultum confirmantur omnia privilegia religionis alicujus sive propria, sive communicata: nam tunc consequenter confirmantur privilegia alterius religionis, non tamen ut illius, sed ut per communicationem facta sunt alterius. Quia illa prior religio etiam habet communicationem cum altera quoad futuras gratias, ut supponimus; ergo per communicationem habebit sua privilegia confirmata ex redundantia (ut sic dicam) generalis confirmationis concessæ alteri religioni, ut consideranti facile patebit.

## CAPUT XX.

AN PER INNOVATIONEM PRIVILEGII CONFIRMETUR  
VEL DENUO GRATIA CONCEDATUR.

1. *Quid addat innovatio super confirmationem.* — *Difficultates circa responsum.* — Solent Pontifices aliquando simpliciter privilegia confirmare, nihil amplius addendo; aliquando vero non contenti verbo confirmandi, addunt: *Confirmamus et innovamus*, et interdum superaddunt, *et de novo concedimus*, sicut Paulus V in confirmatione Privilegiorum Societatis adjecit; et sæpe in confirmationibus Mendicantium invenitur, et refertur in Supplement., concess. 191, et in Monum. Min., concess. 343. Dubium ergo est quomodo verbum innovandi distinguatur a verbo confirmandi, et quid addat. Quod dubium proposuerunt fratres Minores Julio II, pro intelligentia cujusdam confirmationis suorum privilegiorum factæ a Sixto IV, cum illa additione, *et de no-*

*vo concedimus*, interrogantes an per illa restituerentur, seu de novo concederentur etiam privilegia prius revocata. Respondit autem dictus Papa Julius II, per illa verba solummodo esse confirmata privilegia dicto ordini concessa, et non alias revocata. Ita habetur in Bulla Julii II anni 1504; incipit: *In militantis Ecclesiæ agro*, et habetur in l. Monument. Minor., fol. 125 et 126, pag. 2, concess. 277, in impressione Salmant., art. 1511; et refertur ab Emman. Roder. in 4 tom. Bullarum, p. 570. Habet autem difficultatem illa responsio, primo, quia videtur contra vim et proprietatem verborum, præcipue illorum, *et de novo concedimus*. Secundo, quia hoc modo videtur frustra addi; nam illud satis fuerat factum per puram confirmationem, non solum ex certa scientia, sed etiam in forma communi, ut ex dictis patet. Tertio, quia sequitur minus concedi per illa verba quam per confirmationem ex certa scientia, quia per hanc reparantur et restituntur privilegia revocata, ut dictum est, quod negatur fieri per verba prædicta.

2. *Innovationem in forma communi non restituere privilegia revocata, nec dare novum jus, sed solum innovare antiquum.* — Respondeo: sicut confirmatio distinguitur in eam quæ est in forma communi, vel ex certa scientia, ita etiam posse innovationem distingui; nam videtur eadem ratio, quia est in potestate Pontificis utroque modo illam facere. Posita ergo tali distinctione, et illam applicando cum proportionem ad confirmationem, videtur imprimis dicendum, quando innovatio est in forma communi, non restituere privilegia revocata, vel quomodolibet amissa, nec dare novum jus, sed solum antiquum innovare. Ad hanc conclusionem probandam allegari solent sequentia jura: c. *Ex parte*, l. de Privileg., ubi dicitur: *Privilegium, etc., duximus innovandum, ita tamen ut per innovationem ipsius, eidem Ecclesiæ non plus juris accrescat*. Sed ex his verbis posset quis in contrarium argumentari, quia nisi addidisset Pontifex, *ita tamen, etc.*, innovando absolute, videretur jus novum concedere, licet constet ex textu illam innovationem non fuisse ex certa scientia. Sed huic evasioni obstat c. *Quia intentionis*, eod. tit., ubi expresse et absolute dicitur: *Cum innovatio nec jus novum conferat, nec etiam tollat vetus*. Quare in alio textu clausula illa, *ita tamen, etc.*, non ponitur ut necessaria ad limitandum verbum innovandi, sed ad declarandum illud, vel etiam

ad reddendam rationem cur tam facile concessa fuerit illa innovatio, sicut aperte etiam fit in c. *Cum dilecta*, de Confirm. util., ubi additur per innovationem jus novum non acquiri, sed conservari antiquum. In his ergo locis frequens est hæc sententia.

3. *Dupliciter sumi posse nomen privilegii.* — Occurrit tamen circa hæc jura considerandum, nomen privilegii æquivoce posse sumi, uno modo pro jure ipso vel gratia per principem concessa, prout privilegium definivimus in principio hujus materiæ, alio modo pro instrumento authentico, in quo talis concessio, et fides seu probatio ejus continetur, sicut etiam nomen contractus interdum significare solet pactum ipsum, interdum instrumentum authenticum ejus, ut late tradit Tiraq., l. 1 de Retr., § 2, Gloss. 1, in princ. Nam ex usu non minus constat hoc in privilegio quam in contractu. Hinc ergo innovatio privilegii interdum refertur ad solum instrumentum, quia vetustate forte consumitur, et ideo innovatio ejus conceditur. Aliquando vero potest referri ad rem ipsam, ut jus antiquitus concessum postea innovatur. Priori modo, clarum est innovationem privilegii non conferre jus novum. Et plane hoc modo loquitur dictum cap. *Cum dilecta*, ut patet ex illis verbis: *Prædicta privilegia quasi jam nimia vetustate consumpta, cum fuerint non in pergamento, sed in papyro conscripta, duximus innovanda*. Et in eodem sensu loquuntur alia jura. Innovari ergo privilegium hoc modo, nihil aliud est quam novum instrumentum privilegii antiqui ex veteri instrumento exemplari, quod ejusdem sit auctoritatis cum originali, quia principis auctoritate factum vel approbatum est, argumento cap. ult. de Fide instr.; et ideo novum jus dare non potest, quia jus in multis instrumentis contentum nec est aliud et aliud, nec est majus. Imo (ut recte ait Parnorm. in d. c. *Cum dilecta*), talis innovatio jus in privilegio contentum non confirmat, utique secundum se, quia illi robur aut valorem non addit, quoad nos vero quodammodo confirmat, quia facilior vel diuturnior fit probatio ejus, et hoc modo dicitur etiam hæc innovatio conservare privilegium, quia, perditio vel consumpto instrumento, perditur jus quoad forum saltem externum, nisi loco illius succedat præscriptio, et ideo per renovationem privilegii quodammodo conservatur jus in eo contentum.

4. *Potest renovari instrumentum non renovato jure, et e converso.* — Quocirca de